


PRÆPARATIO
PROXIMA
AD MORTEM.
AD USUM CLERICORUM.
POPULO ETIAM PERUTILIS.

*Compendiosæ Regulæ Cleri, nuper editæ, addita, ut
sanctam vitam sequatur & coronet pretiosa Mors.*

Operâ & Studio SIMONIS SALAMO
& MELCHIORIS GELABERT, Doct.
& Præsb. Diœc. Elnensis.

*Esote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius
Hominis veniet. LUC. 12.*

QUARTA EDITIO.



A V E N I O N E,
Apud LUDOVICUM CHAMBEAU,
Typographum & Bibliopolam.



M. DCC. LXXIII.

*****:*****:***** BEATÆ MARIAE VIRGINI


PRETIOSÆ MORTIS EXEMPLO ET PATRONÆ.

Post Dicatam Christo Jesu regum Regis, & Altissimi filio, regulam cleri; æquum est, ò benedicta inter mulieres, regina cœli, ac Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei, ut tibi, de quâ natus est Jesu, dicemus hanc ad mortem præparationem, quia & sanctæ vitæ, & pretiosæ mortis es tutissimum præsidium, & perfectissimum exemplar.

Mirabilis Deus in sanctis suis! sed quanto in te mirabilior, ò Regina sanctorum!

Ave ergo Mater Dei, pulchra ut luna, electa ut sol, speculum sine maculâ, pulchritudo justitiæ, hortus conclusus, fons signatus, gratia omnis viæ & virtutis, gloria Jerusalem, latitudo Israël, magnificentia populi. Ad tuos pedes provolui, te supplices & fidenter rogamus, ut hoc sacrificium justitiæ, quod tibi in rationabile obsequium nostrum offerimus, acceptare digneris. Tu es gratiâ plena: ecquid mirum? Dominus tecum, & fecit tibi magnam qui potens est; ex tuâ obedientia & humilitate beatam te dicent omnes generationes. Tu terribilis es hosti, in horâ mortis nostræ, ut castrum acies ordinata, ut leoni rugienti fortes in fide resistamus, & ut legitimè certantes, coronemur in gloriâ.

Eia ergo advocata nostra, opus manuum nostrarum dirige secundum beneplacitum dilecti filii tui; impetra nobis ejus spiritum, ut ipso scientiarum Domino cooperante, loquamur in simplicitate cordis nostri verba vitæ æternæ, eloquiâ ignita ad pretiosam sanctorum mortem plebem parantia. Interveni pro clero, ad quem hanc beatæ mortis methodum dirigimus, ut ipsi filii tui ministri discant vigilare, lucernos ardentes in ejus adventu tenere, & ut facili forma gregis ex anima, ad mortem, unâ cum com-



PRÆPARATIO

PROXIMA

AD MORTEM.

AD USUM CLERICORUM.




RECOLLECTIO

Unius, ex singulis mensibus, diei, præparationi
ad mortem proximæ accommodata.



*Viva ad Sacerdotes exhortatio, usque ad divisionem
animæ perungere valens.*



MORIEMUR tandem, Fratres Cha-
rissimi; sed heu! semel dumtaxat
moriemur: quâ horâ non putamus,
filius hominis veniet; post hoc autem
judicium sine misericordia. In quo-
cumque loco ceciderit lignum, ibi in æternum
erit. O formidabile momentum mortis, quo de
summa rei decertandum est! momentum ex quo
pendet totius æternitatis causa! O res plena peri-
culi! Ecquid, Fratres charissimi, si, revertente
Domino, non habeamus lucernas ardentes in ma-
nibus nostris! Et quid, si, pulsante iudice; si die-